



DISPUTATIO INAUGVRALIS MEDICA,
DE
**TEMPERAMENTORVM
MORVMQVE CONVENIENTIA
ET VSV MEDICO.**

QVAM
VELIFICANTE NUMINE DIVINO,
RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLIS-
SIMO ATQVE CONSULTISSIMO

DOMINO
**CHRISTOPHORO IGNATIO
DE GVDENVS, J. V. D.**

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEMQVE
PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO,

AMPLISSIMA FACVLTA TE MEDICA IN HAC PERAN-
TIQVA HIERANA CONSENTIENTE,

SVB PRÆSIDIO

DN. D. JOH. ANDREÆ FISCHERI,

CONSILIAR. ET ARCHIATR. ELECT. MOGVNT. FACVLT. MEDIC. PRO-DECANI,
SENIORIS, ET PATHOLOG. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. PRIM. NEC NON
MED. PROVINÇ. DVCAL. ISENAC.

PATRONI, PROMOTORIS ATQVE HOSPITIS SVI COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA

SVM MOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA RITE ADIPISCENDI,

PVBLCÆ ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTET

AVTOR

AMBROSIVS GVILIELMVS EQVES DE BVNTSCH,

BRÜNNA - MORAVVS,

AD DIEM XX. JUNII ANNO M DCC XXV.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSVET.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



DISPUTATIO DE VITAE MEDICA
THEORIA ET PRACTICA
MORALIUM ET NATURALIUM
ET VITAE MEDICAE

PROF. DR. MED. CHRISTOPHUS
CHRISTOPHUS
DE VITAE MEDICAE

IN VITAE MEDICAE
THEORIA ET PRACTICA
MORALIUM ET NATURALIUM

DR. DON. ANTONIUS FISCHERUS
DE VITAE MEDICAE
THEORIA ET PRACTICA

DE VITAE MEDICAE
THEORIA ET PRACTICA
MORALIUM ET NATURALIUM

AMERONGIUS GYLLIUS DE BUNTSCH
DE VITAE MEDICAE
THEORIA ET PRACTICA

IN AVIENSI MAIORI COLLEGIIS, NON CONVENIT





CAPVT I.

*TEMPERAMENTORVM MORVM
QVE FORMALITATEM EXA-
MINAT.*

§. I.



Ir selectioris sane sit iudicii Medi-
cus necesse est, ita ut de omni-
bus, ubi licet & fieri potest, pru-
denter dubitet. Quamvis enim
dubitatio imbecillitas esse videat-
ur, hoc respectu tamen non re-
jicienda est, modo tantum ad ma-
jorem certitudinem acquirendam adhibeatur. Hinc
in pluribus, quæ aliis evidentia licet videantur, accu-
rate pervolvendis, haud otiosum se exhibeat; cum
sæpius in re apparenter evidentissima, ut per plura
etiam experimenta analogæ ferè comprobata, dece-
ptus, uti hominum fors fert, faciliorem se in assen-
tiendo fuisse experiatur. Hoc idem sæpissime acci-

A 2

dere

dere poterit in eruitione temperamentorum pure ex moribus instituta, secundumque hoc principium facta erronea medicatione. Qua de causa, hunc scopulum evitandi gratia, non abs re erit ex professo, quantum possibile, de temperamentis tam in genere quam in specie quædam differere. in horumque essentiam, causam, subjectum, mutuam terminum dependentiæ cum moribus, & vicissim, usumque in horum cognitione sedulo inquirere. Plura quidem, quæ viri doctissimi sentiunt, præsupponentur, quæ ob exiguitatem spatii dissertationi præsentis includi non poterunt, tamen ex accurata hujus perlectione absque omni difficultate eruenda.

§. II.

Cum autem nulla relatio, multo minus hujus usus, clare percipi possit, nisi præcognitis (ut cuique saniori philosopho haud ignotum est) prius terminis, antequam ad dependentiam morum a temperamentis, in gratiam usus medici, qui noster præcipuus scopus est, descendamus, a quidditate utrorumque inchoandum nobis erit.

§. III.

Prætermissa igitur sententiarum, quæ aliis placet autoribus, historica relatione, fit temperamentum ad mentem Excell. Dni D. Stahlii: *Legitima partium corporis solidarum & fluidarum inter se mutua proportio, quæ, utrarumque debitus motus, depuratio, atque inde necessario subsequens conservatio, per secretiones & excretiones in fluidis, proportionata flexilitas in solidis tam molli- bus quam durioribus, conservatur.* Ex qua definitione patet,

❁ (5) ❁

pater, subjectum hujus proportionis esse ipsas partes fluidas & solidas, causam autem efficientem principium vivens, quod mediantibus fluidis partes solidas nutrit, in debita tensione conservat, & vicissim mediantibus solidis fluidas nutritioni, alluitioni, systole earum, adaptat, easdemque item, diastole, ad debitam secretionem & excretionem, indeque dependentem depurationem disponit.

§. IV.

Mores autem videntur quod sint habitus vel pro-
pensio, tum à natura congenita, tum adventitia ani-
mæ, ut subjecti intellectus & voluntatis, seu liberi ar-
bitrii, ad actus pluries repetendos directe vel indire-
cte, data ansa se determinandi ex una notabiliore for-
tius apprehensa, vel pluribus affectionibus, huic, me-
diantibus organis sensus tam internis quam externis,
per ideam propriam vel alienam communicatis, sub
larva boni vel mali agnitis ortum ducens. Itaque
approbata hac definitione, subjectum hujus pro-
pensionis animam, causam autem affectiones ab ex-
trinseco advenientes esse, in dubium tracturum quem-
quam vix crediderim.

§. V.

Cum vero hæc ad scopum sufficienter non fa-
ciant, necessarium veor, differentias temperamento-
rum, quantum opus, enumerare, ut eò melius depen-
dentia terminus morum exinde derivatus elucescat;
inter corpora enim humana magnam differentiam,
actionesque etiam diverso modo procedere, expe-
rientia quotidiana satis superque demonstrat, talis au-

tem differentia maxime in ætatibus, sexu & temperamentis apparet.

§. VI.

Ætatum variæ quidem passim inveniuntur divisiones, præpollere tamen videtur divisio juxta numerum septenarium Sexus, uti cuique notum; duo licet enim corpora ex iisdem videantur constare principiis, viso etiam hoc, quod plures fœminæ temperamentum quasi viri gerant, a potiori tamen argumentando diversitas apparebit.

§. VII.

De temperamentis, prout definita fuere §. III. magnus sese aperit campus, si de iis ex instituto agere nostri propositi esset. Veteres horum quatuor statuerunt, desumpto fundamento ex quatuor primis qualitatibus, scilicet calido, humido, frigido, & sicco, quæ simplicia apud illos audiebant, ex hisce iterum composita oriebantur, calidum nempe & humidum frigidum & siccum &c.

§. VIII.

Hæc erant universalia, præter quæ adhuc alia particularia viscerum & partium corpus componentium statuebant, ex qua diversitate decantata illa veterum antipraxia viscerum resultabat, a qua morborum variorum deducebatur origo.

§. IX.

Ab aliis Astrologorum sectatoribus, hac divisione ad explicanda omnium temperamentorum phænomena non sufficienti visa, a planetis auxilium petebatur,



batur, unde temperamenta Jovialia, Saturnina, Martialia, Venerea &c.

§. X.

Sane cum non in sanguine tantum, sed etiam in partibus solidis similiter, manifesta deprehenditur diversitas & hinc subsequens temperamentorum differentia, dum alia corpora succulenta calida vel frigida, alia exsucca frigida vel calida, autopfia uniuscujusque docet; divisionem temperamentorum in sanguineum, cholericum, phlegmaticum, melancholicum retinebimus.

§. XI.

De horum unoquoque speciaticim differentes, temperamento sanguineo merito primum locum tribuere censemus, quippe quod homini magis naturale est, præque ceteris, quia magis temperatum, nomen temperamenti meretur; hocce præditi, quoad externum habitum corporis structuramque partium mollium considerati, porosioris, laxioris, turgidioris, floridioris, mollioris sunt superficiei, quæ de structura interna partium carnosarum testatur, in quibus vasa exigua, à succis vitalibus fibras dietarum partium carnosarum inflantibus, & poros comprimantibus, angustata, quasi reconduntur, ita ut non nisi parum superficiem cutis inæqualem reddant, sanguis porro fluidus, fluxilis, item secretiones & excretiones moderate succedunt, & quæ sunt reliqua.

§. XII.

Temperamentum vero cholericum possidentes, sanguine quidem florido & fluxili, ut & dicto fluido,
plus

plus tamen sulphuris continente & ad orgasmum magis apto, gaudent: Solidarum verò partium textura strictior, per consequens pori angustiores, habitus corporis minus turgidus, minusve spongiosus, contactu durior, minus prædicto floridus, sed calidior &c. in illis cernitur.

§. XIII.

Duo adhuc supersunt temperamenta Phlegmaticum & Melancholicum, quorum prius præsupponit habitum corporis ad tactum mollem admodum, item turgidum, non tamen uti in sanguineis floridum, sed potius pallore excellentem; quod sanguinem attinet, hic in eis fluidus, sed particularum volatilium ad fermentationem proportionatam necessariarum plus minus expers, aquosisque abundans existit, substantia partium porosa cum vasis exilibus hanc perreptantibus, ut in sanguineis, cum pulsu debili adest, secretionibus & excretionibus inde tarde procedentibus &c.

§. XIV.

Ultimum, ordine licet non consideratione, in censum venit temperamentum Melancholicum, hujus subjecta habitus corporis sunt spissioris, strictioris, densi & sicci, fibræque horum notabiliter sunt tensæ, ita ut manifestam maciem in superficie exhibeant, color corporis est ex pallido nigricans, calor exiguus in partibus tactu exploratur, vasa porro sunt ampliora & pori minores, ut in cholericis, pulsus observatur tardus, fortis tamen, secretiones & excretiones tarde
pro-

procedunt, & quæ adhuc supersunt, vid. apud *Excel. DD. Stahl. Nenter. & alios.*

CAP. II.
GENVINAM MORVM ORIGINEM
INDAGAT.

§. I.

HAs corporis & sanguinis constitutiones sequi passim creduntur animi mores, (intelligo propensiones ad certos actus se facilius determinandi, ut in definitione relatum fuit) quatenus autem hoc extendendum explicatu licet sit difficilius, sequentia, tamen, quantum licebit, expendere conabuntur.

§. II.

Sufficienter notum est, cuique horum temperamentorum certas propensiones tribui, uti temperamento sanguineo ad hilaritatem, misericordiam, fidelitatem, liberalitatem, securitatem, voluptatem, tranquillitatem &c. Cholericum vero ad immisericordiam, seditionem, arrogantiam, audaciam, superbiam, &c. Phlegmatico ad segnitiam, torpiditatem, otium, somnolentiam, in omnibus actionibus tarditatem, stupiditatem &c. Melancholico ad diffidentiam, dubitationem, suspicionem, assiduitatem, circumspeditionem, vigilantiam, propositi tenacitatem, vindictæ cupiditatem, si notabilis injuria illi inferatur, avaritiam, excessum in gaudio & tristitia, vid. plura apud *Excell. DD. Stahl & alios autores.*

§. III.

Certum quidem est primò, animam ut plurimum

B

age-

agere maximeque affici mediantibus organis corporis ut instrumentis, per quæ active & passive se habet; secundo, citius se determinare ad objectum, a quo affectionem veram quacunque ratione recepit, appetendum vel averſandum, quam ad objectum a quo nulla, vel ſaltem notha ei imprimitur affectio; tertio, temperamento unicuique peculiarem organorum eſſe ſtructuram, & toni gradum, uti Sanguinei, prout paulo ante recensitum fuit, fibrarum compagem reſpective ſtrictiorem magisque tenſam habent Phlegmaticis, Cholericis Sanguineis, Melancholici Cholericis; quarto, unum temperamentum ſanguine magis ad organiſmum apto præditum eſſe præ altero.

§. IV.

His obiter conſideratis, facile quis in aſſenſum duci poſſet, differentias morum neceſſario differentias temperamentorum ſequi debere, ita ut Cholericus, accepta affectione alias ſufficienti, neceſſario facile irafcatur, Melancholicus contriſtetur &c.

§. V.

Sed accuratius re perpenſa, notum eſt, quicquid dicant alii, animam, quæ principium & ſubjectum morum exiſtit, poſſe agere abſque corporeo, licet antecedenter, ſi ita loqui fas eſt, moveri debeat per ſenſus ab extra, nihilominus ex una alterave analogia deſcendit ad actum, qui nullam connexionem formaliter & directe talem habet cum materia, & qui ſolum per accidens radicaliter dependet ab impreſſione extrinſecus adveniente, per quem actum poterit acquirere propenſionem motus morales (it. per hos motus

vi.

vitales in corpore) exercendi, ad quos non fuit mota directe, & qui non a tono intenso vel laxitate organi, sed pure pte ab animæ libera apprehendendi & se determinandi facultate originem ducunt.

§. VI.

Animam autem libertate apprehendendi gaudere docet experientia quotidiana. Quot enim sunt, secundum constitutionem corporis considerati, cholericus, qui sensibiliores, ob fibras magis tensas harumque superficiem magis denudatam, ad iram magis proni esse deberent, contrarium autem perpetua hilaritas, etiam in assuetis mansuetudo, post sibi illatas injurias, manifeste ostendit; quis obesum, pallidum, irracundum tamen & audacem, quorum hominum sufficiens numerus est, cholericum pronunciabit, cum vix credibile sit, vere cholericum posse esse obesum, ob ejusdem liquorum magis diffusibilem, hinc nutritioni minus aptam, indolem, ut de ceteris non loquar; porro quem latet inter mortales degentem, quod una eademque anima, plures affectiones licet fortiores, minus sæpe apprehendat, levioribus, hujusque actiones sæpissime non respondeant gradu, affectionibus ab extra advenientibus.

§. VII.

Notandum autem apprimè, non hic loci negari, facilius animam accedentibus corporibus externis duci ad apprehensionem, sed solum nos velle evincere, quod hæ affectiones externæ animam ad apprehendendum non necessitent; multa exempla denuo pro hujus confirmatione suggeri possunt, ubi objecto in-



strumentoque requisito adstantibus, anima distracta à leviori affectione nequidem ad attentionem affectionis molestioris cogitur, multo minus ad determinationem, neque his contrariantur quæ dicta fuere §. III. Cap. II. Sensem priorum duorum assertorum radicaliter & indifferenter, id est per propriam vel alienam ideam, talem esse, jam ex prioribus patet, sequens autem tertium dicta & dicenda sufficienter non improbat; sensibilitas enim non in tono stricto vel laxo, sed in attentione animæ & actuali applicatione ad organon, fundamentum suum sibi vendicat.

§. VIII.

Quod porro sanguinis constitutionem & majorem vel minorem ad orgasmum dispositionem concernit, hæc non jus concaussæ morum usurpare sane poterit, imo ea ipsa ab actibus moralibus sensim sensimque inducitur, hujusque motus, moralium motuum indolem, sequuntur: Et sane rationi satis congruum esse crederem, nobilium ab ignobiliore non determinari, & in contrarium rem se potius habere.

§. IX.

Sed ut ad propositum nos convertamus, videtur, quod mores admodum raro constitutionem corporis sequantur, & dum ab hac producuntur tam sæpe, hoc non accidere solet ac ab educatione, frequentia certarum affectionum &c. neque asseri potest ad unum vitium a natura quendam magis quasi necessitari præ altero, v. gr. ad iram, libidinem, vi temperamenti, apprimè vero per perversam educationem, quæ modernis temporibus ad actus calidos malos excitan-

tandos potius quam suppressendos instituitur, per cupidinem imitandi quod pulchrum & utile in aliis videtur. Dicitur fuit *Utile*: Anima enim est ex naturæ suæ indole determinata ad actus sibi quodammodo essentielles ad suæ naturæ conservationem, ad suæ tranquillitatis & delectationis desiderium, & fugam eorum, quæ pacem illam jucundamque delectationem impedire vel turbare possunt; ubicunque autem talia desiderat, media consecutionis utilia & per accidens inutilia (ut sit, motus vitales vel animales intendendo aut relaxando) prosequitur, contraria autem (quia tali bono contraria esse arbitratur) aversatur, ita ut non alius hujus determinationis sit finis quam fruitio, quod bonum ad superius dicta ipsi videtur, libere tamen & indifferenter in particulari, alias omnes ad finem unum & media necessitemur; porro per consuetudinem, conversationem, præjudicia mentis, & innumera alia, quæ per se ad voluntatem fruitivam ut propensionis executricem conspirant, cujusque actus morales mali non a corpore sed ab hujus (propensionis) subjecto, nimirum mente oriuntur, sensum introducuntur.

CAP. III.

VSVM MEDICVM DECLARAT.

§. I.

Recensendus nobis restat usus medicus, fluens ex prædictorum enarratione. qui in Medicina inter alia observatione digna locum sibi vendicat, & in Methodo medendi magnam opem medenti



affert; diversæ enim ætatis, nationis, diversi sexus homines diversis temperamentis gaudent, diversisque moribus imbuti cernuntur. quæ omnia à provido medico non negligenda sunt, idque tam in morbis acutis quam chronicis, qui cuique temperamento & morum indoli, licet non in eodem gradu frequentes, communes tamen deprehenduntur, ob uniuscujusque subjecti ab his correpi majorem minoremque sensibilitatem & juxta præsuppositum principum vitale magis vel minus ad diversas mutationem scenas inclinant; observatu enim toto die facile est, quod homines bona valetudine fruentes, ast diversas animi commotiones vel imbecillitates experti, hujusmodi speciei & moris morbis corripiantur. Sic iracundi ad morbos orgasticos, timidi ad morbos soporosos, inconstantes ad morbos anomalos nullum typum servant, per longum tempus vindictæ inhiantes ad calidos lentos, tardæ mentis ad morbos diutius durantes, in genere, in specie autem, pro cujusque passionis pertinacia indifferenti, ad difficilius vel facilius corrigibiles dispositi sunt. Hæc omnia non aliunde, quam ex vitæ genere præcedenti, id est moribus, fluere, non sine causa statuere fas est.

§. II.

Neque mirum, cum inter subjectum morum & causam efficientem omnium notabilium motionum, tam in statu naturali quam præternaturali microcosmi, realis intercedat identitas; principium enim vitale ejusdem qualitatis gradus intensiois & remissionis, constantiæ inconstantiæ, curationis, præcipitantiæ,



tiæ, in statu præternaturali, in actionibus tam vitalibus quam animalibus motus instituere conatur, cujus qualitatis gradus intensiõnis remissionis &c. actiones morales in statu secundum naturam efficere consuevit, ita ut e. gr. fortioribus animi commotionibus in statu sano assuefactum subiectum, commotiones succorum suorum vitalium suo respectu intensiores in statu morbofo experiatur. & si hoc ipsum similibus fortioribus commotionibus diutius cum pertinacia insistere solitum fuit, etiam ablatâ materiâ peccante, ex cujus fine motus tales peragebantur, pertinaci modo tamen hi continentur, si autem præcipitancia consueto fortioribus commotionibus in statu supra dicto sano accessit, tunc sine manifesta causa diversæ subitanæ alterationes in statu contrario se manifestant, quod per quam pulchre observatum fuit a Clariss. Dn. D. Groscholzio in *Dissertat. sua Argentor. habitæ de Medico Natur. ministro Sect. III, Cap. II. n. 3. p. m. 36.* cujus verba, ut allegentur digna, sic sonant: Sed optandum esset, ut Medicus hoc in casu sine suo semper potiretur, sæpius enim nescio quæ fatalis causa subest, cujus intuitu natura, absque ulla apparente causa manifesta, vel motus nimios aut perversos instituit, vel in iisdem deficit, ita ut nullo modo vel motus nimii refrænari, vel natura debito modo ad motus sufficientes excitandos stimulari queat, ita ut Medicus, etiamsi præstantissima exhibeat remedia, necessario ^{ad dicitur} in multis morbis agnoscere cogatur; eodemque loco statim subjungit, deficiente natura (id est perverfis vel

non

non proportionatis morbo agendi modis assueta) Medicum vel nihil vel parum efficere posse.

§. III.

Ex quibus colligendi occasio subministratur, primo, quam necessarium sit Medico clinico in mores patientis, quantum possibile, sedulo inquirere, ut medicamenta proportionata, tam unicuique morum indoli, quam temperamento, ritè ordinentur; dixi temperamento, hoc etiam in praxi clinica nullo modo negligendum, principium enim vitale licet indifferens, absolute tamen in corpus & quocunque lubet modo vim suam exerere non potest ad modulum activitatis suæ radicaliter sibi essentialis & intrinsicæ, sed ad modulum receptivitatis subjecti. 2do apparet quam proficuum, ut quisvis Medico hocce utatur, cui suum vitæ genus antecedenter cognitum est. 3tio qualiter facilius Medici supra allatorum conscius ad curationem feliciter instituendam, non minus ad se accingendum ad debitam prognosin. Quibus peractis coronidem operi impono, Deo ter optimo humili mentis affectu referens grates, pro non denegata durantibus meis studiis sua sanctissima benedictione, obnixè demum rogans, quò me in futurum eadem donare dignetur, ut omnes meæ futuræ actiones in ejusdem summi nominis gloriam cedant, proximique emolumentum, veluti omnium nostrarum actionum humanarum præcipuum scopum.

T A N T V M,

S. D. G.



OO A 6318

ULB Halle 3
002 933 500




SB

VD
18


Reho ✓ V D 17





Farbkarte #13

B.I.G.



AVGVRALIS MEDICA,
DE
AMENTORVM
CONVENIENTIA
V MEDICO.

QVAM
E NVMINE DIVINO,
ATIS AC PRO-CANCELLARIO,
REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLIS-
SIME CONSVLTISSIMO
DOMINO
HORO IGNATIO
ENVS, J. V. D.

V. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC
GVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEMQVE
IN SPIRIT. SIGILLIFERO,
ATE MEDICA IN HAC PERAN-
ANA CONSENTIENTE,

PRÆSIDIO
DREÆ FISCHERI,
CT. MOGVNT. FACVLT. MEDIC. PRO-DECANI,
QVE PRAX. PROF. PVBL. PRIM. NEC NON
VINC. DVCAL. ISENAC.

ATQVE HOSPITIS SVI COLENDISSIMI,
LICENTIA
DICA HONORES ET PRIVILEGIA
IA RITE ADIPISCENDI,
ORVM CENSVRÆ SVBMITTET
AVTOR

ELMVS EQVES DE BVNTSCH,
NA - MORAVVS,
JVNII ANNO M DCC XXV.
COLLEGIJ MAJORIS, HOR. CONSVET.

GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

